

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0888

0886

0892

0882

0897

0877

0937

0837

0987

0787

0387

Ende

Anfang

315

attendens nec ad nobilitatem nec divitias, sed solam speciem,  
ut placitam duceret uxorem. Et inventa est filia regis Arme-  
niae, quam cum postularet, assensit pater et puella sub hac  
conditione, ut dimitteretur servire Deo suo, Domino Jesu  
Christo, et non cogeretur subire ritum Tartarorum. Accepta  
autem conditione imperatori, cum adducta fuisset, optime pla-  
cuit, et nuptias celebravit, et statim concepit et peperit filium,  
ita tamen deformem, ut vix in eo humanitas appareret. Casan-  
nus autem turbatus consilium habuit cum suis prudentibus,  
quid faceret de illo turpissimo puer? Cui responderunt, quod  
puer ille non esset conceptus ab homine, ideo tam mater  
quam infans igni tradi deberent. Cum autem rogus ad hoc  
pararetur et mortis sententia significata esset, juvencula  
postulavit illa, hanc sibi gratiam fieri, ut more Christianorum  
liceret sibi sacramenta sumere et filium baptizari. Quibus  
peractis et (289 A) filio baptizato, cum de aqua levaretur,  
subito puer mutatus est in alterum et apparuit ita pulcher  
et generosus, sicut quicumque aliis in orbe reperiri posset.  
Ex tam evidenti signo nimis laetificatus Casanus non solum  
immunem esse voluit uxorem suam cum prole a morte, sed  
eam imperatricem decrevit et cum magna solennitate ipse et  
populus suus baptismum suscepit. Instructus autem in fide  
cum accepisset, quod Saraceni infideles loca redēptionis no-  
strae possiderent, immane sacrilegium judicavit esse et plu-  
rimum ammirabatur de Christianis, quod hoc sustinerent, sta-  
tisque Soldano Aegypti inimicitias denunciavit et ad capien-  
dam terram sanctam et Jerusalem se paravit. Venit ergo  
ducens secum in Syriam contra Soldanum Aegypti copias  
CC. millium Tartarorum, et cum istis secum traxit exercitus  
regis Armeniae et regis Georgiae, qui etiam inimici erant  
Sarracenorum. Ingressus ergo terram sanctam omnia devastare  
coepit. Cui Soldanus cum ingenti exercitu occurrit et horri-  
ble bellum gestum est cessitque victoria Casano et fugatus  
Soldanus dereliquit Syriam et in Aegyptum descendit. Ca-  
sanus autem civitates Syriae cepit, inter quas civitas sancta  
Jerusalem capta est a Christianis anno Domini 1299., anno  
octavo post expulsionem Latinorum a civitate Achonensi.  
Casanus autem intrans civitatem sanctam devotissime loca

